amico ſuo dilectiſsimo Joh: Eppli M. D.

9

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA,

PROPONENS

RARIOREM VLCERIS INTESTINALIS CASVM & ERICRISIN,

CVM

SIMPLICI PROBATA SANANDI METHODO.

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

IO. CAROLO LVDOVICO,

COMITE PALATINO RHENI,

VTRIVSQVE BAVARIAE DVCE, rel. rel.

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO

DOMINO

PHILIPPO FRIDERICO GMELIN,

MED. DOCT. BOT. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.

SOCC. REG. SCIENT. LOND. ET GOETT. SODALI,

PRAECEPTORE SVO AETERNVM COLENDO,

AD CONSEQVENDOS SVMMOS IN MEDICINA HONORES

D. MAII A. MDCCLIX.

IN AVLA NOVA HORIS CONSVETIS

DEFENDET AVTOR

ANDREAS EPPLI, Dieſenhofio-Heluetus.

TVBINGAE, LITTERIS ERHARDIANIS.

Georg Camiſs. Schmidt.

TVLLIVS.

Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem Hominibus dando.

Prologus.

Cum aliquot iam ante menſes de argumento Diſſertationis Inauguralis meditarer, quod & Orbi Litterario tanquam ſpecimen vitæ academicæ non inutiliter geſtæ offerre poſſem, & humani generis plenioribus aptare vſibus medicis: mihi quidem non aliud viſum eſt aptius, ac practicum aliquod, vtpote quod ſalutaris artis incrementis directe velificari plane fui perſuaſus: omnis enim theoriæ medicæ vltimus finis, centrum & corona Praxis eſt, lapis ille LYDIVS, qui vt omnia Jatro-Philoſophorum etiam ſpecioſiſſima commenta, experientiæ fulcro deſtituta vno ictu quaſi proſternit: ſic ſimplici ſua ſimplicitate tam optato rationem experientiæ connubio iungit, vt ipſius dictaminum neſcii ÆSCVLAPII filii prorſus cœcutiant,

denſisque verſentur in tenebris, dubii, quo ſe in caſibus multis, ſuis hypotheſium picturis non reſpondentibus vertant?

Viam autem ex his evadendi labyrinthis tutiſſimam præmonſtrant, & lucem diſſidentibus multis opinionibus & hypotheſibus adhucdum obumbratam accendunt genuinæ, accuratæque obſeruationes practicæ, teſtibus Celeberrimis Practicis, inprimis FRID. HOFFMANNO, Halenſi, quem in præfatione ad Diſſert. de modo morbos conſignandi, ſic diſſerentem legas: „Mancam profecto, quin imo „ſterilem eſſe illam pathologiam, quæ ex limpidis hisce „obſervationum fontibus ſuos non deducit rationum riuu„los, & paucis interſparſis, ſe vnam de certo morbo ac„curate conſignatam, & cum omnibus circumſtantiis no„tatam hiſtoriam plus æſtimare, quam mille laudana, ar„cana, & ſplendidiſſimas medicamentorum compoſitiones.

Eandem hanc ſententiam confirmat acutiſſimus obſeruator G. BAGLIVVS, dicens in Præfatione Operum: „Nullam prorſus & nobiliſſimæ ſcientiæ exornandæ, & „curandis hominibus ulteriorem operam navari poſſe, „quam ſi præſtantiſſimæ artis ſtudioſi in immenſum retro „iam factas a maioribus noſtris obſeruationes attenderent, „nouasque indies animaduerterent & notarent.

Huic igitur utrique teſtimonio, a medicis omnibus bonæ fidei confirmato, veritatis evidentiſſimæ vocem exprimenti, cum & ego, vtpote prorſus conuictus, ſubſcribam, ſelegi thema in Diſſertationis rubro indicatum caſus practici, qui mihi iam in limine ſtudiorum medicorum conſtituto attentione digniſſimus viſus fuit.

Continet is hiſtoriam morbi ab ipſo ægro conſignatam, non adeo frequentis, eiusque ſanationem, ſimplicem quidem,

dem, ſed oppido memorabilem, certam interim, non hoc ſolum exemplo, ſed & aliis confirmatam analogis e praxi Optimi Parentis, feliciſſime illam domi exercentis, & propoſitæ methodi efficaciam, teſte me autopta crebro experti, vti ex adiectis eiusdem obſeruationibus eluceſcit. Quidni ergo ſit operæ pretium, talem caſum & in communes vſus publicæ ſiſtere luci, & inaugurali Diſſertatione ita perluſtrare, vt ex eius enodatione pleniores capi & colligi poſſint fructus?

Sunt quidem, fateor, huiuscemodi examina meis maiora viribus, & in campum diſſerendi adeo amplum ducunt, qui Diſſertationis inauguralis limitibus coërceri neſciat: dabo autem operam, vt pro menſura mearum virium, & academici ſpeciminis modulo potiora Caſus momenta ita peruoluam, vt certe non fruſtra penitus ſcripſiſſe videri poſſim. Inquiram ſcilicet in primam propoſiti vlceris inteſtinalis originem, in phænomena eius conſtitutiua, progreſſum, pertinaciam, & ſymptomata omnia. 2) In methodum medendi applicatam, & modum, quo felicem præſtare ſanationem potuerit. 3) Deducam e propoſita cura hac quædam corollaria, arctiſſimum demonſtrantia vinculum Medicinam inter ſtricte ſic dictam, & Chirurgiam. Ita perſtringam rariſſimum caſum hunc, ſubmiſſurus meditationes meas benevoli Lectoris calculo, cum precibus enixis, vt ſolido ſuo iudicio ſuppleat ea, quæ heic deficiunt, & quæ iuueniliter dicta ſunt, faventer excuſet!

Hiſtoria morbi, eiusque ſanationis præcipua.

Paſtor Reuerendus meritiſſimus Dieſenhofianus, Dominus BENKER, temperamenti ſanguineo-melancholici, anno iam conſtitutus ætatis 80mo: a prima iuuentute ſua nephriticis, arthriticisque paſſionibus, & bis vel ter vehementibus torminibus circa vmbilici regionem, feliciter autem ſemper ſedatis per congrua medicamenta, nec minus ob ſtrenua ſtudia malo hypochondriaco valde afflictus fuit, cuius gratia quinquies vſus eſt Aquis Piperinis ad ipſum fontem, exinde A. 1709. equo domum vectus bibit ſub itinere aliquid infuſi cuiusdam laxatiui vinoſi, quod ob effectum ſuum laxantem illum ſæpius ab equo deſcendere coegit: ab eo tempore ſubinde ſenſit molimina hæmorrhoidalia, poſt anni quadrantem demum ad modicum fluxum cruentum deducta: exinde fiſtulam ani reportauit, qua feliciter curata intra ſex hebdomadum ſpatium per adhibita efficaciſſima remedia in- & externa ſecantia, corrodentia, nihil amplius poſtea hæmorrhoidale ſenſit per integros annos, licet interdum malum hypochondriacum infeſtaret vsque ad d. 2. Julii A. 1723. quo vehementia ſemel & ſimul percepit tormina circa vmbilici regionem potiſſimum, ex magno terrore (ob filium 11. annorum femoris fracturam paſſum) orta, quæ primis diebus tantopere affligebant, vt mentis ſerenitas turbaretur, & deliria naſcerentur: apparebat vrina ſumme rubicunda, inſtar vini rubri, & omnia validiſſimæ febris ſigna inſurgebant. Hæc ſymptomata remittebant aliquantulum, vt tormina eſſent perferenda, ſed renouabantur quouis 3. 4. vel

5to

5to die nocturno plerumque tempore, tamdiu, donec dolores grauatiui erumperent in regione lumbari ſiniſtra, quos prouenire autumabant Medici ab obſtructo huius lateris vretere per materiam mucoſam aut ſabuloſam, cui remouendæ adhibebantur per multas hebdomades antinephritica, reſoluentia medicamenta, & enemata quædam emollientia, ſed incaſſum: tandem apparebat externe in inguine prope annulum abdominalem tumor forma farciminalis, qui reſolutionem diu tentatam per in- & externa remedia efficaciſſima renuebat, vnde ſuppurationem eius promouere conabantur Chirurgi: ob profundum autem abſceſſus ſitum lente admodum ea ſuccedebat, vt perfecta maturatio, & ſpontanea ruptio non ſequerentur: quare butyro antimonii & cultro fiebat apertura, per quam magna materiæ purulentæ coctæ, & valde olentis quantitas effluebat, quæ inter peritonæum, muſculos abdominales, & horum interſtitia ſibi vias parauit, vt omnia in his locis caua apparerent, & ipſa materia purulenta quoque in vmbilico exitum haberet; quo perueniretur ad fundum huius vlceris, perpetuo poſt fundentis magnam fœtentis puris copiam, & eius depuratio obtineretur, quater inciſiones fiebant, quarum vltima erat in longitudine 4. pollicum: hac detegebatur cauitas in internam abdominis, ipſiusque inteſtini Ilei cauitatem penetrans, e qua fluebat materia purulenta chylo permixta, quæ omnia inundabat inteſtina, & flaccida valde reddebat: Ilei apertura ipſa ſentiebat non ceſſantia tormina. Fœces per aluum nunquam obſtructam excretæ erant gryſei, & puri quam ſimillimi coloris, odorisque valde fœtentis, etiamſi omnia ſelectiſſima medicamenta adhiberentur, & ſtrictiſſima obſeruaretur diæta. Labia vulneris externi a ſe inuicem longe diſtabant, ad quorum com-

binationem & accelerandam conſolidationem applicabatur toti abdomini faſcia, ad retinendum reliquum deligationis apparatum apta: cuius applicationem ſequebatur in toto corpore magnus tumor veluti cachecticus, ob quem tunc illa faſcia ventri applicata remouebatur, & pro cibis potubusque tantum ſumebantur petroſelinum & ſeleri cum iuſculis carnium decocta: horum vſu magna vrinæ copia ſecedebat, & omnis euaneſcebat tumor, vnde tunc totus corporis habitus euadebat ſceletiformis, magis adhuc emaciatus per nocturnos ſudores colliquatiuos, tuſſim ſiccam, tormina valde dolorifica, quouis 3. 4. aut 5to die redeuntia, vehementiſſimumque tenesmum excitantia, qui vna nocte debilem valde ægrotum quater, quinquies, imo ſexies ad alui deiectionem mouebat ſummis cum doloribus, vt parturientis inſtar ſæpe ſæpius clamaret.

In tali rerum ſtatu, cum omnia contra hunc morbum valentiſſima medicamenta ſub conſilio & directione ſuperſtitis adhuc Celeberr. Scaphuſani Medici D. PFISTER, Prætoris meritiſſimi, & Clar. atque Exper. D. D. BRVNNERI omnibus attentiſſimi phænomenis, adhibita, nullum ederent effectum, his, vti cunctis ægrum aſpicientibus omnis ad ſanationem euanuit ſpes, ne autem quid intentatum relinqueretur circa hunc morbum, modo nominati Medici in conſilium vocarunt Ill. D. D. DE BRVNN, Electoris Palatini Archiatrum, & Excell. D. D. BRVNNERVM, Palatinarum copiarum Medicum Solingæ. Hi Viri nihil ſuadebant aliud, niſi ſequens decoctum vulnerarium, de quo prædicabant confidenter: quod iam in diuerſis locis, vt Viennæ, Düſſeldorpii, Conſtantiæ &c. & in variis ſubiectis mirum ab illo experti fuerint effectum, præcipue in milite quodam, cui alimenta cruda prodierint per inteſtinum

ſtinum exulceratum: vt nihil hoc efficacius remedio inuenerint in eiusmodi abdominis vlceribus: inteſtinorum autem craſſorum ſanationem ſemper citius ſucceſſiſſe, quam tenuium, addebant exercitati hi Artis Magiſtri. Decoctum hoc fuit:

℞. HB. Nummular.
Sanicul.
Virg. Aur.
Fol. Querc.
Uv. criſp. aa. m. ij.
Rad. Hirund.
Conſolid. maior. aa. ℥ij.

m. ppt. d. ad ch. ſ. Species **zum Trank, welche mit zwey Kannen oder** XVI. ℔. **Waſſer, und etwas Honig gelind in bedektem Geſchirr zu ſieden, noch etliche Stund an der Wärme ſtehen zu laſſen, hernach durch ein Tuch zu ſeigen, wovon alle Tag Morgens um 6. und 9. Uhr, und Abends um 4. Uhr allemal ein Tiſchglas voll warm zu trinken. Womit ſo lang zu** continuiren, **biß die** vlcera abdominis & inteſtinorum **ganz aufgetroknet und geheilet ſind.**

Æſtiuo calore dimidia tantum huius decocti doſis pro vna vice præparari poteſt, cum longa mora facile aceſcat. In diæta ſequentia ab Ill. DE BRVNN obſeruanda proponebantur: aut ſola deglutiat alimenta lactea, ſollicite euitando vinum omne: aut tenuia valde carnium & gallinarum iuſcula, cremores hordei, vel auenæ, cum pauco pane albo, & alia ſimilia: quorum vſu bene ſuccedente, nulloque apparente febrili calore, quouis prandio & cœna aliquantulum vini boni vetuſti rubri adſumi poſſet.

Æger electa hac ſeruata diæta incepit dicto modo vſum decocti: cuius duo prima pocula iterum vomitu reiecit, tertium

tertium autem retinuit: elapſos poſt 2. dies iam bonum inde ſenſit effectum, dum tormina hactenus vehementia indies magis ac magis decreſcebant, tandem plenarie ceſſabant, & quieto iam gaudebat æger ſomno: vnde vires deperditæ non parum reſtaurabantur, vt continuato huius ſolius decocti per ſemeſtre ſpatium vſu ereptus e cymba charontis, in publicum iam prodire, feſto Paſchatis A. 1724. eccleſiam frequentare, & d. 2. Julii ſacro ſuo concionandi officio cum omnium auditorum ſolatio præeſſe potuerit.

Fiſtula autem in inguine manebat per 2. plenos annos ſine vllo alio incommodo, præter deligationem bis per diem adornatam, quare pro fonticulo naturali habebatur ad ſanitatem conducente, præcipue ob malum hypochondriacum. Elapſis his 2. annis noſtram ſua præſentia dignatus eſt oram Ill. DE BRVNN, qui tunc inuiſens ægrum, vidit hanc fiſtulam, rogauit, cur nondum clauſa eſſet? reſpondit æger: ob rationes ſupra traditas; ſed Ill. DE BRVNN, hæc nihil, regeſſit, contra malum hypochondriacum efficere, proptereaque tuto ad plenariam conſolidationem perduci poſſe: ad quam obtinendam ordinauit aquam mercurialem, ſcilicet e mercurio viuo, in aqua forti ſoluto, & aquæ tanta copia diluto, quanta ſufficeret, ad eius acrimoniam mordentem temperandam: hanc ita præparatam mercurialem aquam mirum habere affirmauit effectum, in curandis vlceribus fiſtuloſis: quare goſſypio excepta etiam huic applicabatur fiſtulæ, per 3. tantum dies, quorum interuallo ad plenariam perueniebat conſolidationem, vt nihil amplius obſeruaretur, præter ſenſibilem nunc adhuc inteſtini vlcerati ad peritonæum accretionem, ſed ſine vlla moleſtia: ab eo enim tempore vsque ad hoc præſens a malo hypochondriaco, morbisque omnibus liber euaſit æger,

&

& incolumis hactenus vixit, vt octuagenarius nunc quauis hebdomade adhuc bis concionetur, cum applauſu omnium auditorum ordinum.

Addo huic hiſtoriæ caſus alios e praxi chirurgica optimi Patris, efficaciam eiusdem decocti confirmantes etiam in partibus aliis, ab inteſtinali tubo valde remotis, & vlceroſa rebelli labe infectis.

Hiſtoria morbi eadem, qua prior, ſanati methodo, cum caſibus analogis.

Puerpera, temperamenti cholerico-ſanguinei, ætatis circiter XL. annorum, ante 5. hebdomades anno 1754. infeliciter peperit: fœtus enim pedibus vrgens exitum ad caput vsque hæſit, & omni adhibita opera non potuit ſolui: donec Chirurgus e vicinia vocatus, hunc nodum Gordium vi ſoluere tentaret, & inſtrumentis applicatis tandem expediret hunc partum, quo facto vrina continuo inuitæ ſecedebat cum ardente dolore, & fœtore. Inquirens Pater optimus in locum affectum, inuenit partes genitales externas ab acri vrina, & materia purulenta excoriatas, & parum inflammatas, ceterum in perinæo nullam læſionem, orificium vteri internum non mutatum, & fere iterum clauſum, vt parum ex vtero efflueret. Ad exteriora & anteriora magis animadvertit inæqualitatem, & exulcerationem, per hanc ex vteri vagina vrinæ effluxum. Vnde cognouit, læſum ex partu difficili, & inſtrumentorum non cauta ſatis applicatione collum veſicæ, quod plenariæ vrinæ incontinentiæ ſit cauſa.

Cum nunc quasdam tales mulieres noſſet, eodem affectu iam per viginti & plures annos ad mortem vsque vexa-

tas, non exoptatam formare potuit prognoſin, timens, ne continuus vrinæ affluxus ad hæc aliâs ſemper irrigua loca multum retardet ſanationem, imo plane impoſſibilem reddat, inprimis cum iam varia incaſſum adhibita fuiſſent remedia: at reliquus ſatis adhuc bonus corporis ſtatus, quandam in illo fouit ad curationem ſpem: quare ſtatim ordinauit BRVNNERI decoctum vulnerarium, dicto modo vſurpandum, iisdem obſeruatis diætæ regulis. Externe autem ad roborandas partes laxatas, & reſoluendas inflammatas applicare iuſſit ſæpius repetitas calidas fomentationes, ex ſpeciebus roborantibus & reſoluentibus vino incoquendis: his continuatis per 14. dies cum bono ſucceſſu, illarum fomentationum loco applicuit, vt eo efficacius roborentur partes læſæ, ſpiritum e floribus cephalicis paratum: cuius & decocti illius vſu intra 4. hebdomades ægra ab omnibus moleſtiis fuit liberata, & perfectam iterum recuperauit ſanitatem, cum poſtea feliciſſime in puerperium rediiſſet.

Hæc curatio mox aduocauit duas alias mulieres, eodem afflictas morbo, magis inueterato, quas eadem intra paucas hebdomades curauit methodo, exceptis ſupra dictis fomentis roborantibus, quorum loco nimis excoriatis partibus tantum illinebatur vnguentum lithargyrii.

§. I.

Cum primum caſum pro baſi huius thematis inauguralis conſtituerim, reliquos autem tanquam argumenta tantum confirmantia eius veritatem allegarim: ita circa illum potiſſimum occupatus, ad eruendam veram huius morbi originem, ipſamque indolem, perluſtrabo cauſas omnes prædisponentes, procatarcticas, & proximam proprie morbum conſtituentem: ab hac vt reliquarum effectu omnino

erit

erit inchoandum, contra methodum quidem mathematicam, quæ ab efficiente demum ad effectum concludit: at hæc lex in eruendis rite morborum cauſis nullum inuenit locum, quia in his tot ſimiles cauſæ efficientes, tot varios & ſæpe contrarios producunt effectus, vt ab his demum ad illas valeat concluſio.

§. 2.

Quare cauſam huius morbi proximam, omniumque ſymptomatum matrem reliquis antepono, quam produnt effectus illam accurate definientes: vt tormina vehementia circa vmbilici regionem, omniaque validiſſimæ febris ſigna, v.c. vrina ſumme rubicunda, deliria &c. ſymptomata inflammationi nobilis qualiscunque partis communia, qualia BOERHAVEN (*a*) de inteſtinorum inflammatione recenſet: „Cognoſcitur autem facile pro vera inflammatione ex „febre acuta continua comite, ſiti ingente, calore magno, „pulſu duro, dolore igneo, vrina flammea, debilitate ſu„bitanea.

Nec dubios nos relinquunt de inflammatione in præſente ægro omnia hæc phænomena, cum monſtrarit hanc euentus: etſi quoque, ſi quædam abſint, ſatis luculenterque manifeſtetur, tantum per acerbos dolores, primis diebus non remittentes, & cauſas, vt arbitror, conſtituentes reliquorum omnium ſymptomatum, nempe febris acutæ, deliriorum &c.

Siquidem dolores pendent a fibris neruoſis e ſenſorio communi ortis, tenſis nimis & diſſolutioni proximis: variis ita disponuntur modis, tam nimia partium mollium com-

(*a*) GER. VAN SWIETEN Comment. in HERM. BOERHAVE aph. Tom. III. §. 962. pag. 169.

compoſitarum contractione: qua illæ violenter trahuntur, & talem patiuntur tenſionem, vt moleſtus ille doloris ſenſus in ſenſorio communi oriatur: quam illarum vltra naturalem ſphæram extenſione, quæ fit a maiore ſanguinis copia, irruente in aliquam partem mollem, qua tunc violento modo diſtrahuntur fibræ neruoſæ: vnde dolor oritur in inflammatione vehemens, aut mitis, prout inflammatio magna, vel parua, vel pars affecta magis vel minus ſenſilis eſt.

In illa partium carnoſarum contractione violenta, ſiue ſpasmis ſummus interdum oritur dolor, mox autem ceſſans ſolutis illis: niſi his vehementibus, & nimis diu infeſtantibus incarcerentur humores, vt refluere neſcientes, producant obſtructionem in vaſculis minimis, ac cauſam inſequentis inflammationis: cuius internæ ſigna ſunt, dolor igneus, magis auctus ac imminutus, febris acuta cum ſuis ſymptomatibus: quæ, cum conſiſtat in incitato vehementique ſolidorum fluidorumque motu, irritat adhuc magis partes inflammatas, promouet in has maiorem humorum impetum, & ita vrget loca obſtructa, vt magis dilatentur vaſa, premanturque vicina: inde inflammationis, doloris, omniumque ſymptomatum incrementum. „Vbi itaque absque febre „bre prægreſſa inteſtinorum conuulſio ſæuos dolores pro„duxerit, tunc inflammatione nata, febris ſequitur. Si„mul tunc adſunt omnia illa ſymptomata, quæ & febrim „acutam continuam, & inflammationem comitari ſolent, „ſitis nempe, calor & reliqua. (*b*) Vnde merito ſtatuitur, „hunc morbum vel inflammationem vt cauſam agnoſcere, „vel illam breui producere. (*c*)

§. 3.

(*b*) Id. §. 962. pag. 170.

(*c*) §. 964. no. 1. pag. 174.

§. 3.

Cum iam inteſtina, & inprimis tenuia ex ſtructura & fabrica vaſculoſa mire reticulata, ſingularique conſtitutione admodum ſenſili, cum toto corpore conſenſum alant mirum valde, nec adeo facile explicandum, ad ſubeundam obſtructionem ſunt diſpoſita, quæ in quibusuis obtinet partibus, vaſculis donatis, quibus pauca carent corporis puncta, vt vix vlla in corpore viuo excipiatur portiuncula, quæ obſtructioni & huius frequenti comiti inflammationi non ſit obnoxia, ne quidem duriſſimæ corporis partes, vt oſſa, cartilagines: Quid enim? nonne, inueſtientes has partes membranas, perioſtea, perichondria, tendines & ligamenta, primo intuitu exſangues, & vaſculis deſtitutas viſas, ſubtiliſſimæ RVYSCHII, ALBINI, LIEBERKÜHNII, aliorumque iniectiones, & obſeruationes medicæ, de obſtructione & inflammatione ibi obuia, in paronychia, & arthriticis doloribus variis, vaſculoſas eſſe abunde demonſtrarunt? Sed principale obſtructionis & inſequentis inflammationis obiectum eſt tela celluloſa (*d*) conſtituens omnes corporis humani membranas, penetransque per omnia carnoſarum partium interſtitia, mollis admodum & extenſilis, ornata quam plurimis vaſculis tenuiſſimis ſanguiferis, ſeroſis & lymphaticis, quæ inuicem conuoluta admiranda illa artificioſiſſimaque conſtituunt retia: in his itaque facilis obſtructionibus locus conceditur, ſed nullibi diſtinctius apparent hæc vaſculorum retia, quam in inteſtinis præcipue tenuibus, partibus corporis noſtri poſt cerebrum tenerrimis, molliſſimis & ſenſiliſſimis, vt ex leuiſſima afficiantur cauſa, ſedente quoque in maxime lon-

(*d*) IO. GRASHVIS Diſſertat. de generat. puris.

longinquis partibus. Non mirum itaque, cur tam frequens ſit in illis obſtructio & inflammatio, cauſæ magis, quam vulgo creditur; diriſſimorum illorum torminum, ſubito ſæpe, & ſine notabili cauſa infeſtantium; a ſpasmis quidem tunc ſine cauſa materiali productorum: at hos ob cauſas §. 2. traditas multoties inflammatio ſequitur, cui potiſſimum fauent tenuia inteſtina ex mox dictis rationibus, obſeruationibus practicis confirmatis. Dicit enim Ill. VAN „SWIETEN (*e*) tenuia inteſtina frequentius inflammari, „quam craſſa, obſeruationes practicæ confirmare viden„tur: nam in hoc morbo intolerabilis ille dolor medium „abdominis, ſiue vmbilicalem regionem frequentiſſime „occupat, vbi naturalis tenuium inteſtinorum ſitus eſt.

§. 4.

Ad demonſtrandum obſtructionis inflammationisque ortum ex ſpasmis ſolis, ſine cauſa ſic dicta materiali, non difficile admodum erit argumenta promere: cum eorum natura proprie conſiſtat in conſtrictione muſculoſarum fibrarum violenta, & anguſtatione vaſorum: ſcilicet in his contenta fluida tum premuntur, fluere impediuntur per minimas vaſorum anguſtias, ad quas a tergo vrgens ſanguinis vnda priorem impellit, & continuato aliquamdiu hoc impetu poſtueniente, tandem impingit in illas: in quibus continua arietatione ſic incuneati liquidi ad vaſa, & a tergo vrgentibus nouis ſanguinis vndis, tenuiſſimum illius humidum, penetrans in ſubtiliſſima vaſcula lateralia, & exhalans relinquit ſtagnantem materiam magis compactam, denſam, & immeabilem per vaſcula minima: quæ omnia adauget incitatior cordis motus, ortus ex aliquo circulationis obſtaculo, quo magis irri-

(*e*) Comment. Tom. III. §. 959. pag. 159.

irritatur cor: quia ſanguis arterioſus, ex eius cauis pulſus, maiorem inuenit reſiſtentiam, & in ſua fluendi libertate in quibusdam vaſis impeditur, determinatur itaque hic eo maiori copia & impetu ad alia vaſa libera, & gignit illum febrilem motum, inde pendentem calorem & ſitim, reliquaquê omnia febrilia ſymptomata, eo grauiora, quo obſtructio maior, & pars affecta nobilior, ſenſiliorque: quod pulchre explicuit GALENVS (*f*) pulſuum naturam deſcribens, qui inflammationem comitantur. „Incipiente „enim inflammatione pulſus maior eſt, quam ſecundum „naturam, & vehementior, & crebrior, & celerior. Au„cta inflammatione omnia hæc increſcunt, & manifeſte „durior fit. Hæc inflammatio habet, quæ pulſum per to„tum corpus immutat, ſiue ob magnitudinem, ſiue ob „principem partem, in qua conſiſtit. Si vero vniuerſum „corpus non afficiat, pulſus in parte inflammata talis erit, „qualem diximus.

Cuiuscunque itaque notabilis inflammationis fere ſemper comes eſt febris, etſi non conſtanter fiat, obſeruante Cl. SIMSONO (*g*) ne decipiantur Medici, credentes nul„lam inflammationem adeſſe, ſi febris abſit: cum ſæpe „fixos dolores inteſtinorum & ventriculi inflammatio pro„ducat, licet nulla febris obſeruetur, pulſu explorato. Adeo latet ſæpe inflammationis natura in intimis corporis penetralibus, vt cognitu ſit difficilis per externa ſigna, quale aliâs præcipuum eſt febris: illa omnia itaque ſunt coniungenda ad veram eius diagnoſin formandam, febris nempe & dolor fixus, qui nunquam deeſt, qualiscunque ſit inflam-

(*f*) CHARTER. Tom. VIII. de pulſibus ad Tirones. c. 12. pag. 8.
(*g*) The ſyſtem of the Womb &c. by THOMAS SIMSON. pag. 106.

flammatio, vt huius fere conſtituat ſignum pathognomonicum. Omnia nunc conſiderata phænomena in ægro præſente: vt vehementia tormina circa vmbilici regionem ſubito orta, febris, deliria &c. certiſſima ſuppeditant inflammationis ſigna, obſidentis inteſtinorum tenuium partem, vtpote quæ maxima ex parte ſuis conuolutionibus occupant vmbilicalem & hypogaſtricam regionem.

§. 5.

Cum nunc ſatis eluceſcat cauſa morbi noſtri, omniumque ſymptomatum proxima, nempe inflammatio, cuius geneſis & natura explicata luculentiſſime ab aliis, dictis de hac acquieſco, accedens proxime ad contemplationem cauſarum procatarcticarum, & prædiſponentium ſic dictarum, quarum amplum nobis hiſtoria morbi aperit campum: ſed ne in hoc a vero aberrem tramite, & rem mox acu tangam, potiſſimum petam cauſam procatarcticam primariam, terrorem nempe, quem mox ſequutus eſt morbus: de reliquis proegumenis indicabo tantum paucis, quantum ad hunc producendum ſuam contulerint ſymbolam? Omnino notabilem ſubito exercuit effectum terror in ægro noſtro, qui apparenter ſanus vno poſt illum momento experiebatur ſummos circa vmbilicum dolores, magis ac magis auctos, cum febre ſat valida, delirio, reliquisque illius ſignis: quæ docebant mox ortam fuiſſe inflammationem in inteſtinis tenuibus, cuius facilem ex terrore ortum intelligere, iuuabit ponderatio naturæ huius, & in corpus humanum vis: quæ potiſſimum conſiſtit in ſpaſtica quadam conſtrictione totius corporis habitus externi, ſyſtematis vaſorum, & ita fluidorum in his coarctatis contentorum a peripheria ad centrum, ſiue interiora corporis viſcera determinatione:

vnde

vnde ſubitaneo terrore perculſi hominis mox tota contrahitur facies, antea rubore ſanguineo turgida, pallent labia, genæ, oculi, fit magna circa præcordia anguſtia &c. vt talis homo fere mortis imaginem exprimat, imo non rara in obſeruationibus legantur eius vere ſecutæ exempla, & obſeruationes de pertinaciſſimis inde ortis obſtructionibus, qualem Ill. VAN SWIETEN refert. *(b)* Vidi mu„lieri ſanæ, ſubito terrore affectæ, mox ortum fuiſſe in „mamma tumorem, qui, licet optimis tractatus remediis, „in ſcirrhum irreſolubilem induruit.

Quare ex hac violenta quaſi humorum repreſſione ab exterioribus ad interiora, hæc obruuntur vitalibus liquidis, nimiam patiuntur extenſionem, & ita disponuntur ad ſubeundam obſtructionem, hancque inſequentem inflammationem, potiſſimum in partibus ad hanc ſuſcipiendam aptis: quales inteſtina eſſe §. 3. demonſtraui, non tam ex ſua ſingulari artificioſiſſimaque vaſculoſa ſtructura, quam ægre explicando conſenſu ſuo prorſus mirabili cum corporis peripheria, in qua ſuppreſſa inviſibilis transpiratio frequenter ad inteſtina ruit, & diarrhæas ſæpe pertinaces inſtituit: vt contra autem copioſior cauſatur ſæpe ſicciorem aluum. Quæ cum in ſtatu obſeruentur ſano, multo magis ſunt applicanda ad morboſum: in tali itaque vehementi eccentrici humorum motus conuerſione ab exterioribus ad interiora, vt in terrore fit, ex modo dicto conſenſu poteſt ille determinari ad inteſtina, quæ ob mollem vaſculoſamque ſtructuram facile cedunt maiori ſanguinis vndæ, a maioribus impulſæ viribus: vt vrgeatur in vaſculorum anguſtias, has transire impotens ſtagnet, ſemper in maiores pellatur anguſtias

(*b*) Comment. Tom. 1. §. 127. pag. 190.

guſtias a tergo veniente noua ſanguinis vnda, (vid. §. 4.) & ſic increſcente obſtructionis mole dilatentur minora vaſcula, tendantur fibræ muſculoſæ, neruoſæ, fabricam inteſtinorum tunicaceam fere totam conſtituentes, & illam adeo ſenſilem reddentes, irritentur ad reactionem, ſed ſuperatæ a materiæ obſtruentis mole patiantur vehementem diſtractionem, quæ cauſa illorum dirorum torminum, febris, & deliriorum, hæc ſunt fructus miri inteſtinorum cum encephalo conſenſus, ex inſignibus neruorum ramis in illis diſtributis a ſympathetico magno & paruo ortis: non ſufficiens tamen eius conſenſus ratio hæc viſa fuit, Ill. VAN SWIETEN (*i*) dicenti: „Vnde videtur neruoſiſſi„mis his partibus talis proprietas ineſſe, vt male affectæ „ſtatim illam corporis partem mutent, vnde virium ani„malium & vitalium integritas & conſtantia pendent: hu„ius rei cauſa a priori forte difficulter explicari poſſet, ſed „ſufficit medico per fideles obſeruationes facti veritatem „cognoſcere.

§. 6.

Nec deſunt in morbi hiſtoria ſufficientes cauſæ, diſponentes inteſtinorum tractum, præ reliquis viſceribus internis, ad ſuſcipiendum fluidorum ad ſe conuerſum motum, qui maior naturali hanc ad illa inuitauit ſtagnationem, & produxit iam explicata ſymptomata. Inter illas prædiſponentes cauſas refero, vehementia tormina, ægrum olim iam aliquoties vexantia, quæ ſingularem diu occultam diſpoſitionem ad nouas, accedente occaſionali cauſa, ſubeundas ſtagnationes inteſtinis inferre valuerunt: ſiquidem ſpaſmi vtplurimum cauſæ ſunt talium torminum, breui tempore

(*i*) Comment. Tom. III. §. 960. pag. 168.

pore terminandorum, ſatis efficaces, quæ harum muſculoſarum partium infringant tonum, inde horum ſequela fere ſemper eſt atonia, quæ ſine dubio cauſa repetitorum talium affectuum priſtinum occupantium locum; vnde HIPPOCRATES iam dixit: (l) „Si quæ pars ante morbum labo„rarit, ibi morbi ſedes erit, quod GALENVS ita explicat: „In omnibus morbis, qui prius præ excretione non iudi„cantur, in his abſceſſus decumbere in eas partes ſolent, „quæ prius laborarint, cum enim illæ ſint imbecilliores, „etiam magis ac facilius humorum copiam excipiunt. Eiusmodi inteſtinorum atoniæ ab illis torminibus relictæ infallibilis fere teſtis eſt malum hypochondriacum, quod ægrum a prima iuuentute ad fatalem vsque huius morbi diem interdum vexauit. Omnes hoc affecti malo potiſſimum patiuntur nimiam abdominalium viſcerum debilitatem, exinde in his oriundas humorum ſtagnationes, varias pro conditione partis, quam occupant: nam aliud induunt ſchema in hepate, liene, ac viſceribus obtuſum valde alentibus ſenſum, & in quibus languidior obtinet ſanguinis circulatio: inde heic euenientes illæ diu latere posſunt, & ſubdole ſymbolam ſuam conferre ad malum ſic dictum hypochondriacum, donec in neruum erumpant, & aperte ſuam exerceant vim. Longe aliter autem ſe res habet in tractu inteſtinali, ac parte corporis valde ſenſili, quæ debilis & laxa nimis in hoc morbo maiorem ſæpe ſuscipit ſanguinis copiam, ac in ſtatu naturali ſolet, inde dilatationem paſſa, quam multum adaugent ingeſta, irritatur ad contractionem, cuius effectus ſunt illi vehementes ſpasmi hypochondriaci, totam vitalem œconomiam turbantes: quo-

(l) HIPP. in libr. de humor. pag. 56. no. 3.

quoties per hos ſoluuntur illæ ſtagnantes, dilatanteſque materiæ, ceſſant iterum tales anomaliæ hypochondriacæ, ſed ob relictam inſignem partium atoniam, tantum in tempus, vbi leui occaſionali accedente cauſa recrudeſcunt, priſtinamque ludunt ſcenam.

Hanc ob cauſam procul omni dubio humorum determinatio a peripheria quam maxime ad inteſtina facta fuit a ſubitaneo illo terrore, & ita producta in illis ſtagnatio atque inflammatio, & quamuis huius celer ex terrore (§. 5.) ortus admirandus ſit, tamen explicari poteſt ex magna ſyſtematis neruoſi debilitate, & ſpirituum mobilitate hypochondriacis communi: „In hyſtericis enim & hypochon„driacis a ſolo motu ſpirituum perturbato naſci tales ſpas„mos, in viſceribus æque, ac aliis corporis partibus qui„busuis nimis notum eſt. (m) De ſpaſmorum efficacia ad producendas inflammationes vid. §. 4.

§. 7.

Non fluida minus quam ſolida hactenus conſiderata in ægro noſtro, ad obſtructiones in vaſculis minimis ſubeundas, apta videntur: Quid enim probant nephriticæ arthriticæque paſſiones? maxime ſpiſſos tenaceſque humores, qui difficulter tranſeunt per minima vaſcula, indeque in illis hic & ibi ſtagnant, in artubus arthriticos, in imo ventre hypochondriacum malum, (§. 6.) in renibus autem nephriticos producentes dolores, qui ſe inuicem multoties excipiunt: ſi v. c. nephriticæ vexant paſſiones, ſilent vtplurimum arthriticæ & hypochondriacum malum, ſic vice verſa: eadem itaque horum morborum diuerſiſſimorum videtur materia, quæ vnam occupans partem, alteram liberat:

(m) Ill. VAN SWIETEN Comment. Tom. III. §. 959. pag. 162.

liberat: hæc, vt arbitror, tantum conſiſtit in humorum ſpiſſitudine & denſitate nimia, ſtagnando demum degenerans in variam indolem pro loci natura: in renibus ex. gr. in ſabuloſam & calculoſam, in articulationibus arthritide chronica affectis tophaceam, in partibus ſanguineis inflammatoriam. &c. Qualem quoque iam expertus eſt æger ex hæmorrhoidibus ſtagnantibus in recto inteſtino, quod cum ſit multa pinguedine obuolutum, ſemel incepta in hac obſtructio facile increſcere, & obſtruens materia in aliquam rancidam indolem degenerare potuit, quæ poſt inflammationem in pus conuerſa illam ægre curabilem ani fiſtulam genuit, frequentem valde ex huius partis inflammatione, ob dictam potiſſimum rationem. Quamuis curata hæc nullum corpori notabile intulerit damnum, monſtrauit tamen, ægri naturam ad obſtructiones inflammationesque eſſe pronam, quæ diſpoſitio quam maxime obtinere debuit in partibus loco affecto proximis, imo ipſi continuis per propriam fabricam, vaſa, neruosque: quia antea excreta hac via ſanguinis copia per hæmorrhoides, ab illo curatæ ani fiſtulæ tempore ſilentes, reliqua inteſtinorum vaſa petiit, ſenſim ſenſimque diſtendit, & ſic tandem obruit: vt ad contractionem irritata produxerint per interualla permoleſtos illos ſpasmos hypochondriacos, qui ex hactenus dictis explicatisque cauſis ſuſtentati potiſſimum inuitarunt eius copiam ad inteſtina, in turbata per terrorem ſanguinis circulatione maiore, quare in illis obſtructio & inflammatio fuerunt natæ.

§. 8.

Hanc inflammationem mox omnia validiſſimæ febris ſymptomata ſunt ſequuta, tanquam clariſſima ſigna illius magnæ, occupantis ſenſiliſſimam inteſtinorum partem,

 quam

quam omnino tenuia conſtituunt, & augentis illa omnia, præcipue vehementes dolores quouis 3. 4. vel 5to die redeuntes, nullum adhuc tenentes fixum locum: donec erumperent grauatiui illi in regione lumbari ſiniſtra, mentientes ab initio nephriticos dolores, ſed breui poſt monſtrantes, ex tumore paulatim in inguine creſcente, inflammationem hactenus inteſtina vage occupantem in vnum nunc confluxiſſe locum, & abſceſſum hunc generaſſe, ſuppurationis effectum: quæ poſt plenariam reſolutionem materiæ obſtruentis, & aſſimilationem cum humoribus vitalibus, vt cum his circulum vt antea abſoluat, eſt optima via, qua illa ex corpore eliminatur: at requirit hæc non exorbitantem febrilem motum, ſed moderatum, vt aucto tali in locum obſtructum humorum impetu paulatim ſoluatur vaſis obſtructi cohæſio, & obſtruens materia libere effluat aliter non amplius ſoluenda: „vbi enim molecula obſtruens „tam valide impacta eſt vaſis conniuentis anguſtiis, vt non „poſſit retro pelli in maiora vaſa, nec reſolui per artem, „neque tanta poſſit conciliari vaſi obſtructo laxitas, vt „transmittat immeabilem moleculam, tunc vnicum hoc „ſupereſt, vt vis vitalis a tergo vrgens in locum obſtru„ctum, abſcindat partem obſtructam: vas tunc liberum, „ſed patulum humores ſuos effundit, ſolidis illis tenerrimis „abſciſſis miſcet, calore loci, attritu vicinorum vaſorum, „hæc ſimul abeunt in homogeneum, album, ſpiſſum, pin„guem humorem pus dictum, hoc vocamus ſuppurare: „hæc eſt ſola via, qua natura ſe liberat ab omni parte „adeo obſtructa, vt reſolui non poſſit: ſalutare ſemper „eſt hoc naturæ conamen, modo vaſa ſic in pus mu„tanda vna cum infarcto immeabili liquido, non ſint ab„ſolute neceſſaria ad vitam, & pus ſic factum commode

„eua-

„euacuari poſſit. (*n*) Quod cum difficulter in inteſtinis fiat, niſi in horum interioribus inflammatio hæreat, & pus factum per aluum elabatur, hoc in exterioribus tunicis hærens, & per multas incumbentes ſolidas partes coercitum, nimis longam nectens moram, degenerauit ſenſim ſenſimque ex blanda natura in magis acrem, vicina circumuoluentia ſolida diſſoluit, & ita ſibi parauit ampliſſimos ſinus, donec illi tandem in externis partibus pararetur exitus, vbi apparuit illius magna valde olentis copia, quæ per aluum quoque ſeceſſit, penetrauit itaque externam internamque inteſtini ſuperficiem: quod ob ſitum in inguine prope annulum, (vbi peritonæi productio huc deriuauit collectum pus) & effluentem e vulnere ipſum chylum procul omni dubio ileum erat, tenuium vltimum, & gyris ſuis illam potiſſimum regionem occupans.

§. 9.

In conſpectum itaque venit ipſius ilei abſceſſus, externe prope annulum abdominalem ruptus, & magnam quotidie puris valde olentis copiam fundens: hic efficit lernam malorum in ægro noſtro apparentium, ob locum, quem occupauit, ſenſiliſſimum, & præcipuum chylificationis organum: quod ab acri materia indies cumulata irritatum omnium humorum affluxum ad affectam partem promouit, & eo magis largam puris generationem vrſit: cum naturaliter hæc inteſtinalis molliſſima pars omnis generis humoribus ſemper ſit irrigua, & chylo multo adhuc locupletata: ex tot itaque fontibus deriuata materia purulenta tam copioſe effluere potuit, quæ autem tam ſanguinem ipſum, quam huius materiam, chylum nempe, & ita

(*n*) Id. Tom. I. §. 140. pag. 213.

ita præſtantiſſimos humores nutritios corpori detraxit: quod damnum multum adauxit febrilis motus & calor, ſingulis ternis aut quaternis diebus cum dolore circa ilei exulceratam præcipue partem exacerbatus, qui reliquos adhuc in corpore humores detriuit, & conſumſit infectos iam antea a pure reſorpto: inde cacochymia illa purulenta, & tumor per totum corpus cachecticus, faſciam abdomini applicatam ſequutus, tandemque ex ſudoribus colliquatiuis, vehementibus frequenter ad aluum ſtimulantibus doloribus, ab acri & læſam inteſtini ſenſiliſſimam partem irritante materia, & ex vlcere copioſos continuo fundente humores, vera febris hectica ortum ceperunt. „Vbi enim pus „illud loco clauſo & calido diutius continetur, incipit ſen„ſim tenuius fieri, & ſimul acrius: cumque venulæ reſor„bentes patulis ſuis orificiis in tota ſuperficie caui, quo pus „continetur, hient, illud reſorbebitur his, & reliquæ ſan„guinis maſſæ admiſtum purulentam cacochymiam efficiet: „vnde febris hectica ſequi poterit: præterea pus illud acrius „factum totam ſuperficiem loci, quo continetur, male af„ficiet: cumque ſimul attenuetur, poterit nouas ſibi vias „facillime inuenire in panniculo adipoſo, vnde peſſimi ſinus „& fiſtulæ ſequuntur, dum non ſatis cito puri cocto conci„liatur exitus. (*o*) Ob hunc §. 8. demonſtratum, nimis diu retardatum puris exitum, abſceſſus hic longe lateque patens ſemper altiores egit radices, & ad hunc vsque gradum aſcendit, quo plurima aliâs efficaciſſima in- & externa remedia applicata irrita fuerunt: dum hæc nequidem valuerint illa vehementiſſima ſingulis ternis aut quaternis diebus recrudeſcentia tormina, frequentiſſimumque inde ortum teneſmum ſedare:

(*o*) Id. Tom. I. §. 402. pag. *692*.

ſedare: cum certe ad id obtinendum ſeleċtiſſima medicamina tam in- quam externa, congruaque diæta impenderentur, omiſſo ſolo hoc decoċto vulnerario, quod impar inueterato debellando malo Clariſſimi iudicabant Medici, vt infirmiorem illi ferendo declarauerint ægrum, iam veræ confirmatæque heċticæ ſymptomata exhibentem, nec absque vlla veri ſpecie, quam vrget etiam Ill. VAN SWIETEN, (*p*) illorum vſum non adeo tutum pronuntians, dicensque: „Si vero diutius relinquatur pus in tanti vulneris ſuperficie, „illud reſorptum cacochymiam purulentam inducit, & „omnia, quæ inde ſequi poſſunt, mala: niſi decoċtis vul„nerariis detergentibus potatis magna copia abluatur pus „ſanguini miſtum: aliquando autem debiles tales ægri ſuffi„cientem talium decoċtorum copiam ferre nequeunt, ſed „inde hydropici fierent, tuncque fere ſemper infelix ſuc„ceſſus ſequitur. Sed in hoc tam deſperato, & nullis aliis remediis cedente malo egregius eiusmodi decoċtorum effeċtus illum timorem reddidit vanum, dum illorum vſum ſolum poſt biduum ſequebatur mox lenimen adeo pertinacium haċtenus torminum omniumque ſymptomatum, poſt ſemeſtre autem ſpatium plena curatio huius morbi incurabilis omnibus viſi: remanebat tantum adhuc fiſtula in inguine, nullas cauſans graues moleſtias: Quis non perſpiciet inde ſingularem huius decoċti vulnerarii vim: cum energia naturæ adeo iam proſtrata, & ad omnia efficaciſſimaque haċtenus adhibita remedia elanguida, & quaſi emortua fuiſſet, ſolo huius ſimplicis decoċti vſu & virtute excitata, & in aċtum deduċta, vt promoueret ſanationem: operæ itaque pretium erit, hanc notare nobis phraſin praċticam,

(*p*) Tom. I. Comment. §. 406. pag. 708.

ſticam, & paucis inquirere in vires remedii, quibus egregium hunc præſtare potuit effectum.

§. 10.

Vt itaque penitius indagem huius decocti vires, ſingula ingredientia ſpeciatim percurram, & tunc demum vniuerſalem ex illis ducam concluſionem; vt ordine procedam, primo videbo de Herba Nummulariæ, vernacula: **Pfenning-Kraut**, ob figuram foliorum obolarem: Lyſimachia, foliis ſubcordatis, floribus ſolitariis, caule repente, Linn. ſpec. plant. Hæc recens guſtata ſaporem ſubacrem & adſtringentem exhibet, & ſiciam clare monſtrat vim potiſſimum adſtringentem, roborantem, tonicam, quam mitificatam ſiccata exhibet, vt laudetur ac tutiſſimum vulnerarium & ſubadſtringens remedium in diarrhæis, hæmorrhagiis quibuscunque, ipſaque phthiſi, interne ſumtum in forma infuſi Theæ, eo ſcopo datur etiam ſuccus expreſſus ex illa recente. Veteres laudant tanquam remedium adſtringens, quod conueniat in quibuscunque defluxionibus, & recentia vulnera perducat ad ſanationem. Vid. Herbar. Blackwell.

Herba ſaniculæ, vern. **Sanikel, Berg-Sanikel.** Diapenſia floribus pedunculatis. Linn. ſpec. plant. ſcatet principiis ſalinis volatilibus & fixis, cum gummoſis & copioſioribus terreis remixtis, vnde Cel. BÜCHNER (q) illi adſcribit vires blande abſtergentes, roborantes, & tonicas: quarum intuitu in viſcerum infarctibus, ex laxitate oriundis, hæmoptyſi, phthiſeos initiis, & vlcerationibus internis ſecuram præſtat efficaciam, in theiformibus præcipue infuſis exhibita. Inter vulnerarias præcipua eſt, vſumque habet in omnibus hæmorrhagiis & vulneribus, rupturis internis, con-

(q) Fund. Mat. med. pag. 38.

contuſionibus, & ſputo ſanguineo, applicatur tam externe quam interne. Herbar. Blackwell.

Virga aurea, **Güldén Wundkraut, Heydniſch Wundkraut.** Solidago caule ſubflexuoſo, angulato, racemis paniculatis, erectis, confertis. Linn. ſpec. plant. ſingularem obtinet adſtringentem virtutem, quam recens guſtata linguæ imprimit, & ſiccata quoque exſerit tam interno, quam externo vſu: quare optima vulneraria herba cenſetur, dum egregie conſolidantem & reſoluentem virtutem poſſidet.

Quercus Folia, **Eichenlaub,** e quercu, quæ robur vulgo, Linnæo quercus foliis deciduis, oblongis, ſuperne latioribus, ſinubus acutioribus, angulis obtuſis audit, in Eius ſpec. plant. Quis ignorat horum inſignem adſtrictoriam facultatem, tam a priori quam poſteriori probatam: poſſident enim principia ſalina acida, vitriolica & gummoſa cum terreis iuncta. (r) Ab his conſtitutiuis partibus recipiunt quoque validam refrigerantem vim: nec adeo ſecuri propterea videntur multis eſſe interni vſus, imo prorſus interdicitur hic, qua ex ratione, non perſpicio? illæ enim particulæ acidæ interpoſitione gummoſarum & oleoſarum iam a natura valde ſunt temperatæ: tantum abeſt, vt exſerant illam adſtringentem vitriolis mineralibus propriam vim, vt potius multo leniorem edant ſecurioremque, eo magis, cum illæ per tantum aquæ volumen diuiſæ hæreant: quare minime dubito, quin interne in forma infuſi egregium habeant vſum, vbi adſtringens & refrigerans vis requiritur, indicata & demonſtrata multiplici vſu externo adſtringente in epithematibus & balneis. Hanc potiſſimum ob rationem Folia & ſummitates inter vulneraria referuntur,

(r) BVCHNER. fund. mat. med. pag. 374.

tur, decoctisque vulnerariis admiſcentur, externe fomentis & cataplasmatibus. Nonnulli hanc plantam in hæmoptyſi extollunt, aliisue ſanguinis profuſionibus, inprimis etiam in calculo multum laudatur ab Herbar. Blackwell.

Folia vuæ criſpæ ſiue Groſſulariæ, vern. Stachelbeer, Kloſterbeer, Krausbeer, Stechdorn, Ribes racemis aculeatis, baccis glabris, petioli bractea monophylla, Linn. ſpec. plant. Folia recentia ſaporem habent auſterum, ſubadſtringentem, ſiccata itaque exhibent leniter adſtringentem, tonicam vim & ideo optimo iure accenſentur medicamentis traumaticis.

Radix Hirundinariæ ſiue Vincetoxici, germ. Schwalbenwurz. Aſclepias audit planta Linnæo, foliis ouatis, baſi barbatis, caule erecto, vmbellis proliferis. Eiusd. ſpec. plant. Spirat hæc radix odorem acrem, ſubputrem, nauſeoſum, quadantenus oleoſum, balſamicum: ſaporem exhibet ſubdulcem, acriuſculum, & amaricantem. Principia illi adſcribit Cl. BÜCHNER (s) copioſa reſinoſo-gummoſa, cum ſalinis fixis, paucis volatilibus & oleoſis, ac tenerioribus terreis coniuncta: indeque virtutem efficaciter reſoluentem, abſtergentem, diaphoreticam & diureticam deriuat: ſtimulat enim huius decoctum aquoſum, efficacius adhuc vinoſum vaſa laxata, & inſigniter roborat, incidit & diluit ſpiſſos humores, & ſic reſoluit pertinaciſſimas obſtructiones in imis viſceribus hærentes: inde præſtantiſſimum eſt remedium in anaſarca, omnique hydrope, in quo propter vim & diureticam & ſudoriferam, quin propter aperitiuam etiam vniuerſalem in ictero ex aliorum obſeruationibus radicem hanc laudat Herbarium Blackwellianum.

Radix conſolidæ maioris ſiue ſymphyti officinarum, Wall-

(s) Fund. mater. med. pag. 314.

Wallwurz, Schwarzwurz, Beinwell. Linnæo in ſpec. plant. Symphytum foliis ouato-lanceolatis, decurrentibus. Eſt illa ſaporis dulciuſculi, mucilaginoſi & adſtringentis, vt vinum, in quo aliquamdiu macerata fuit, laryngem & pharyngem deglutientis contrahat non ſine ſuffocationis metu: ſed hanc ob cauſam non eſt damnandus eius vſus internus, alio modo aliaque forma inſtitutus: vinum enim eius acrimoniam inſigniter acuit, quam aqua temperat, extrahens ex illa particulas largas mucilaginoſas, & exinde recipiens inſignem vim demulcentem, incraſſantem & ſubadſtringentem: egregium itaque huius decoctum conſtituit remedium traumaticum, conſolidans in variis in- & externis vlceribus, Iſchæmon in hæmorrhagiis nimiis: ſed prudentem vbique requirit internum vſum ob vehementem efficaciam incraſſantem & adſtringentem, qua præſtantiſſimos quoque exſerit effectus, æque ac externo vſu, hos tutos monſtrauit in ægro noſtro: ita ſecure & efficaciter in omni morbo fieri poſſunt, quæ peragenda ſunt, ſi etiam aliunde conſtet, heroica eſſe, quæ adhibentur, remedia: quare non dubitauit FERNELIVS e radice foliisque huius plantæ ſirupum proponere, compoſitum quidem, quem ſolo interno vſu maximis laudibus extollit contra ſtatum pulmonum vlceroſum. Externo vſu ſumma conſolidans, glutinans virtus in profundiſſimis vulneribus partium carnoſarum, & membranacearum, visque deſiccatiua, & adſtrictiua in ſcabie notiſſima eſt.

Mel ſaponaceam inſignem poſſidet virtutem, qua attenuat, detergit, demulcet, laxat, & ſtimulat. Vnde ad chirurgica & interna admirabilem prorſus vim obtinet. (*t*)

§. 11.

(*t*) HERM. BOERHAVE Element. Chem. T. 2. pag. 144.

§. II.

In genere conſtituunt hoc decoctum Herbæ & radices vulnerariæ, abſterſiuæ, leniter adſtringentes, roborantes & conſolidantes: quæ vires per lenem decoctionem in aquam emiſſæ mellitam, & in magno eius volumine diuiſæ, nullas ventriculo & inteſtinis valde debilibus creant moleſtias, ſed facile penetrant per eorum poros & vaſa inhalantia, maſſam humorum ſubeunt, & intime cum illa miſcentur, multoque facilius læſæ illorum internæ ſuperficiei immediato contactu applicatæ hic potuerunt corrigere, ac diluere acres eorum purulentos humores: ſed communi etiam circulationis lege aguntur per minora vaſcula, horum obſtructiones tollunt, omnesque ſe- & excretiones promouent, & tandem ipſi vlceratæ parti in quacunque corporis regione applicatæ, in illa ſtagnantes humores acres diluunt, demulcent & corrigunt, vaſcula ibi obſtructa ſenſim ſenſimque aperiunt, & inde calloſas vlceribus communes partes reſoluunt, emolliuntque, roborant, nimis laxa blanda ſua adſtringente virtute leuiter adſtringunt, & ita egregie conſolidantem exſerunt vim, eo maiorem & efficaciorem, quo propius locum tangunt, & in hoc caſu talia interna decocta edunt virtutem, qualem externa traumatica, vulneribus & vlceribus per iniectionem applicata.

Intellectu itaque ex his facile erit, cur decoctum hoc in ægro noſtro tam celerem tulerit opem: cum omnes eius vires fere immutatæ proxime affectæ parti applicari potuisſent, & illam immediate tangere, quo ſtagnans acris materia inteſtina irritans, & illa continua vehementia tormina producens diluta & obtuſa fuit: quod teſtatur eorum torminum ſedatio ſub eius vſu paulatim & tandem plenarie conſecuta: vaſa vero per hunc humorum continuum affluxum de-

debilitata, & nimis laxata fuerunt roborata, & leniter adſtricta, vt impedirent nimium humorum effluxum: nec minus obſtructa & calloſos producentia ſinuum margines reſerata, & aperta, vt liquidum vitale hæc permeare, ipſas extra circulationis leges poſitas partes vrgere, ſeparare, & in bonum pus homogeneum conuertere poſſet, & ita in toto vlceris ambitu liber & æquabilis humorum circulus reſtitueretur: qui interrupta vaſcula, ſenſim ſenſimque appoſitis nutritiis particulis prolongauit, & horum extrema ſibi inuicem appropinquare fecit: vnde conſolidatio obtinuit tanto magis, cum per hunc effectum officina chylifera tantopere hactenus læſa in integrum fuiſſet reſtituta: vt nunc in hac elaborato nutriente bono chylo maſſa humorum fere conſumta reficeretur, & particulis nutritiis huc vsque priuata locupletaretur: exinde virium penitus fere in ægro noſtro fractarum inſignis reſtauratio, ex dictis cauſis huius traumatici decocti viribus potiſſimum adſcribenda, cum ante huius vſum eodem tamen adhibito regimine non rediiſſet illa; nec eſt, cur de hac re dubitemus: ſiquidem illius decocti ſpeciebus vulnerariis leniter adſtringentibus certo ineſt ſingularis aliqua virtus roborans, tonica, qua ſatura earum aqua valde actiua, penetrabilis, etiam ex calore, quem accipit, per minima vaſcula, & quibuscunque humoribus ſaponacea ſua indole miſcibilis applicatur cunctis fere corporis punctis, & ita exſerit ſupra deſcriptas virtutes. Quis non perſpicit inde? decoctorum eiusmodi vſum fore præſtantiſſimum in vlceribus & abſceſſibus chronicis quibuscunque, qualescunque occupent partes & regiones externas vel internas: quod a Parente optimo adiectæ obſeruationes ſatis ſuperque euincunt, nec minus veterum Medicorum, vt TABERNÆMONTANI, & PARACELSI, Chirurgorum principum, qui ad talia de-

coċta tanquam ad ſacram anchoram confugerunt, & præcipue PARACELSVS in vlceribus inueteratis ſanandis mira per illa effecit, dicens: „talia vlcera ab intra per eiusmodi infuſa & decocta vulneraria eſſe curanda, quæ humores non tantum „diluunt, & reſoluunt, ſed & leniter abſtergunt, & laxata „vaſa, humorum affluxum ſuſtentantia, leniter adſtringunt „& roborant: qualia ſunt rad. vincetox. conſolid. ſarac. Hb. „agrimon. heder. terreſtr. ſanic. veronic. &c. poteſt his quo„que optimo cum ſucceſſu mel deſpumatum addi. Ab horum itaque vſu non terreat ægrorum debilitas, ſi non magnam, certe paruam horum copiam ab initio tuto ferre poterunt, donec inde percipiant virium incrementum, vbi tunc illorum doſis bono cum ſucceſſu pro re nata augeri poteſt. Sed quid verbis opus? abunde hoc confirmat æger noſter ſumme debilis, & omnia veræ hecticæ febris ſymptomata iam expertus, vt morti quam vitæ propior haberetur: vomitu quidem reiecit ille huius decocti prima pocula, ob nudam, & ab excoriatione ſenſilem valde inteſtini ſuperficiem, quam attingebat: ſed ſecunda, & proxime ſequentia iam multo cum leuamine retinuit, clariſſimo deſcriptæ eius ſingularis efficacis virtutis argumento.

§. 12.

Omnibus igitur indicationibus in hoc vlceroſo deſperato ſtatu obſeruandis abunde ſatisfecit hoc decoctum vulnerarium, quas non parum adiuuit diæta præſcripta ex blandiſſimis diluentibus, concoctu facillimis cibis, & in epulis pauco reficiente potu vinoſo. Videri cuidam poſſet, hac ſola per adeo longum tempus obſeruata diæta ſanationem huius morbi contingere debuiſſe ſine huius decocti adiumento? ſed hanc obiectionem mox ipſa refutat morbi hiſtoria, cum æger ſtricte illam diætam tenens ſemper exacerbationem

omnium

omnium ſymptomatum experiretur vsque ad punctum huius decocti vſus, nonne igitur illi quam maxime effectus exoptatus eſt adſcribendus? quanquam minime negandum ſit, diætam præſcriptam ad ſanationem ſuam contuliſſe ſymbolam, ſine hac enim bene ordinata efficaciſſima medicamina, certiſſimaque ſpecifica ſuum non præſtant effectum: vt illa verum & vniuerſale conſtituat armamentum ad pellendos curandosque pertinaciſſimos morbos, iunctum congruis medicamentis & ipſæ morbi vi oppoſitis: hæc ſeparata ab inuicem ſunt plane inertia, prudenter iuncta autem optima efficaciſſimaque inſtrumenta; & ita ſanationem ægri noſtri contigiſſe reor, quæ quidem longum requiſiuit tempus, vti videtur morbum obiter tantum intuenti, multo aliter autem inueſtiganti in veram eius indolem & naturam, quæ, vti ex ſupra dictis elucet, conſiſtit in plane mutata & degenerationem experta humorum craſi, inde turbatis præcipuis functionibus naturalibus & vitalibus, & iam fere deſtructo ſolidorum tono: quantum temporis requirat horum omnium reſtauratio, non difficile erit intellectu, ſi conſideratur loci primario & potiſſimum affecti conditio, qui origo eſt, vnde reliquæ omnes corporis partes hauriunt nutrimentum, quamdiu illa non in integrum eſt reſtituta, tamdiu hoc ex parte deficiet illis, & ſolidæ non accipient priſtinum tonum & robur: quam difficile autem ſit illud obtinere in tanta affectæ partis labe, quam viſus detegit, & triſtes effectus docuerunt in ægro, iam dixit HIPPOCRATES (*u*) „abſceſſus ad ſuppurationem, & circa laterum mollitudines, & „inguina, diuturni atque ægre curabiles ſunt. Ex his luculenter patebit, conſolidationem huius vlceris inteſtinalis, & plenam ægri reſtaurationem citius ſecundum naturam fieri nequiuisſe, imo & fiſtulam illam poſt hanc relictam inguinalem in ex-

(*u*) In Libr. I. de artic. ſect. 3.

externis tantum partibus fere ineuitabilem fuiſſe, dum cutaneæ & muſculoſæ hæ partes per tantum temporis ſpatium ſolutæ, libero aëris acceſſui & contactui externorum expoſitæ, copioſa materia purulenta acri continuo irriguæ, adeo calloſæ redditæ fuerunt, vt non cederent, ſed pertinaciter reſiſterent inſigni tamen reſoluenti decocti huius virtuti, nec minus quoque lenibus externis remediis applicatis, donec vlceroſæ duræ, calloſæ fiſtulæ ſuperficies tollerentur per ſingulare, egregium valde, ſepticum remedium, ſcilicet mercuriale, quo per tres tantum dies applicato illa perfecte conſolidabatur: dum remoto calloſo repagulo hoc vaſcula fundebant humores, & ita his interpoſitis ſe inuicem facile contingebant: Eſt illud remedium ad fiſtulas ſanandas omnino præſtantiſſimum, quia omnes earum ſuperficies tangit, & radicitus illas calloſas tuto tollit, ſi ſatis caute applicatur, nempe iuſta aquæ copia temperatum, ne ſit vel nimis roſiuum, vel nimis debile, vt effectum ſuum deſideratum non præſtet, hoc valde extollit BELLOSTE (v) ad tabum gangrænoſum auertendum, & ſeparandas a viuis partes mortuas: nec ſine ratione magis a poſteriori quam priori euidente: latent enim adhuc mirificæ, nec ſatis adhuc meditando exhauſtæ mercurii vires in eius corpore, vtpote quod reſolutionem in partes ob inſignem ſuam volatilitatem renuit: ex effectu itaque potiſſimum ſunt deriuandæ illæ, qui adeo euidens eſt in tam celeri fiſtulæ ægri noſtri ſanatione, non a cathæretica aquæ mercurialis vi ſolum petenda, requirebatur enim multa aqua diluta & temperata, vt quam minimam rodentem vim exſereret, vix parem, calloſis ſuperficiebus tollendis: ſed oportet ſingularem conſolidantem, mundifican-

(v) Chirurgien d'Hôpital part. 3. chap. 2. pag. 255.

cantem, deſiccatiuam vim mercurio ſuo menſtruo vnito ineſſe, quæ hanc mercurialem aquam adeo efficacem reddit in ſanandis fiſtulis & vlceribus calloſis: eſt enim mercurius ita æquabiliter diſtributus in hoc liquido, manente plena ſolutionis limpiditate, vt ſi eius vnicam guttulam ceperis, inuenturus ſis, examine artificioſe capto, in illa portionem mercurii proportionalem moli totius liquoris, vnde guttam ceperas: interim manet argentum viuum & ſic immutabile, tantum acido cinctum (x) & aqua: poſſunt itaque mercurii particulæ incredibiliter paruæ cuiuis vlceris puncto cum hoc liquore applicari, & ſic eius conſolidationem adiuuare, non extincta virtute ſeptica, in caſu fiſtuloſorum vlcerum adeo neceſſaria.

§. 13.

Hinc eluceſcit ſumma vtilitas remediorum internorum & externorum ſiue chirurgicorum vnitis viribus agentium, in ſanandis omnis generis vulneribus, & inprimis inueteratis vlceribus, vt vnum ſine altero aut parum, aut plane nihil efficiat: quod tot experimentis in praxi medica & chirurgica euictum eſt, vt ſuperfluum foret horum allegare quædam: præſertim cum iam pronum ſit hoc intelligere ex idea remediorum chirurgicorum, obſtacula tantum remouentium, quæ vulnerum vlcerumque ſanationem impediunt: vel laxando & emolliendo nimis ſtricta vaſa, & ita humectando ſicca aridaque vulnera: vel nimis laxa leniter conſtringendo, quo impediatur nimia humorum effuſio: vel vlcerum calloſos durosque margines, firma ſiſtentes humorum affluxui obſtacula, tollendo. Quæ omnia niſi fiant in quibuscunque continuarum partium ſolutionibus, fruſtra ſane erunt efficaciſſima interna medicamenta vulneraria: dum illa obſtacula in extremis hærentia partibus ad

(x) HERM. BOERHAVE Element. Chem. T. 2. pag. 420.

ad minimum lente aut plane non ſoluere valent, & hoc modo effectu ſuo præſtantiſſimo deſtituuntur, quem mox exſerunt illis ſolutis: contra autem, ſi vlceribus diuturnis, quibus plerumque iam inſignis labes in ſolidis fluidisque partibus ſubeſt, omnia præſtantiſſimaque remedia externa traumatica, depurantia, & egregie conſolidantia applicentur, nihil plane efficient, niſi internis remediis ipſi mali origini oppoſitis ſimul pugnetur: vnita itaque externa & interna remedia præſtant ſaluberrimum effectum in ſanandis quoque vlceribus pertinaciſſimis: quæ, ſi curatio non prorſus ſit impoſſibilis, certe cedent his, & paulatim præparabuntur ad conſolidationem.

Si hæc perpetim obſeruarentur in praxi medica & chirurgica, plane ſum perſuaſus, vlcera inſanabilia, ſic dicta **alte Schäden**, multo rariora fore, ac ſunt: ſed fateor ingenue, horum cauſam multoties latere non tam in Medicis, quam potius in ipſis ægris, ſpernentibus ſæpe ſaluberrima illorum conſilia, non proxime ſed remote ipſis partibus affectis applicanda: dum credunt, nulla prodeſſe remedia, niſi tangant ipſum locum affectum dolentemque, dicentes, quid iuuaret? adeo ſtrictam ſeruare diætam, & adhibere interna medicamina, ad curandum corporis extremæ partis morbum: ſed luunt tales proprio damno ſuam ſuperſtitionem, dum hoc modo exacerbant malum, & ferre coguntur ad vitæ finem vsque.

Multa de hoc in arte ſalutari maxime arduo argumento eſſent dicenda, quæ vix intra ſpeciminis inauguralis limites capi poſſent: quare, ne hos transgrediar, pluribus hanc veritatem in his morborum hiſtoriis ſufficienter probatam non cumulabo, ſed dictis acquieſco, (quamuis multa adhuc dicenda reſtent, plurima tamen, vt reor, ex ipſis his obſeruationibus plana) & diſcuſſioni huic meæ impono

FINEM.

Epi-

Epilogus Præſidis:

Placere Tuam mihi diſſertationem inauguralem, & placuiſſe prima perlegenti vice, non diffiteor; ſiſtit enim ea caſum practicum, ſolutu non adeo facilem, attamen, vt a Medicis, quorum ſub curis verſabatur, tandem feliciter reſolutum, ita etiam abs Te non modo plana ſimplicitate, quæ veri caracter eſt, propoſitum, ſed & ex artis noſtræ ſalutaris principiis, experientia ſuffultis, ſolide non minus, ac nitide ſimul enucleatum. Prodidiſti ſic ingenium, non, more multorum, pro lubitu luxurians precariis euagationibus, fictisque poſſibilitatibus ad inſtar arundinum, huc illucque mobile, ſed maturum prorſus, conſtans, tenaxque veritatis, & obſeruationum. Perge, quæſo, his auibus, hocque tramite, non alia patet Medicis ad felicem praxin tutior via, quam obſeruatio, & huius prudens applicatio per principia denuo ab experientia repetenda. Oleum perdunt & operam, qui aliam ſequuntur, vtinam ſibi ſolis tum ſapere viderentur, aut vere deſiperent, nec ſuis nocerent ſimul ægris! Horreo, cum vel audio, vel lego huius furfuris philoſophos medicos, vtcunque ceterum acutos, ita enim deſipiendo in loco læditur conſcientia.

Hæc tamen omnia non ita velim intellecta, quaſi cuperem ſic Medicum practicum excluſum, vacuumque ab omni reliqua ſcientia, non immediate ad ipſam praxin, morborum obſeruationes, & therapiam pertinente, quis enim, cui ſanum eſt ſynciput medicum, ita deliret? quis neget, Anatomen & Chirurgiam non vtilem tantum eſſe Medicis, verum & neceſſariam? quis Botanicam, & Chemiam e foro excuſſerit medico, qui non cæcutiat? nonne hæ præparatiuæ ſcientiæ ſolida nobis, & firma ſuggerunt principia, quæ nos docent acute obſeruare non modo, ſed & obſeruata in noſtros rite conuertere vſus? poſſem infinitis rem exemplis demonſtrare, quam ipſo facto toties inter nos manibus Te palpaſſe quaſi faſſus es, quare ſuperſedeo labori, qui Tibi applicatus operoſe nihil agit, ſcio enim Te, vt bene ſaturum, & imbutum ſcientiis his, ita & conuictum de influxu earum neceſſario in ipſam praxin medicam;

pro-

probauit hanc Tuam conuictionem induſtria ſingularis, quam impendiſti ſcientiis his ex omni eo tempore, quo inter nos verſatus es, quamque Tibi ego tanto confidentius teſtari poſſum, quanto mihi propior ſemper fuiſti, meis vtpote moratus in ædibus. Hæc vero gratiſſima eſt Tui memoria, quam neque dies delebit, tantoque minus, quoniam cum diligentia iunxiſti ſemper mores omnibus, qui Te bene nouerunt, probatos, raro admodum in academiis connubio, licet præcipuo Litteratorum felicitatis fundamento. Macte igitur Tua hac virtute, quæ nunquam Te deſeret, nunquam optatis fruſtrabitur effectibus! Gratulor Tibi quam maxime de præſenti eruditionis Tuæ ſpecimine, quo viam Tibi pandis ad ipſos Doctoris Medicinæ honores, gratulor præſertim Venerando Tuo Domino Parenti de Te Filio tantæ ſpei, vt ipſius, ita totius in familiæ plena ſolatia nato, progreſſo, & promoto; adi nunc ipſum ſalutaris noſtræ artis exercitium conſueta illa Tua in obſeruando prudentia, lege ſic fructus Tuæ induſtriæ academicæ, quodque ſupereſt Tibi horarum olim ſubſeciuarum ab ipſa praxi, theoreticis excolendis vltra impende ſcientiis, quarum ſatis ampla domum reportabis fundamenta, quæ in chemicis & botanicis equidem in ſpecie noui ſolida Tibi eſſe, ita iuuabit practicis exercitiis interponere ſæpe botanicas delicias, experimenta chemica, excurſiones in hiſtoriam naturalem, & materiam medicam; frequens autem praxis, in qua ducem habebis fideliſſimum, peritiſſimum Tuum Dominum Parentem, confirmabit Tibi veritatem, quam toties priuatim inculcaui Tibi: non eſſe tantum ad melius eſſe, ſed & ad bene eſſe Medicis præſcriptas has ſcientias. At plura non addo: Adſit DEVS Tuis deſtinationibus omnibus, Tu vero me amare perge, omniaque a me humanitatis & amicitiæ officia quouis expecta tempore! Scripſi Tubingæ, ipſis Nonis Maii A. R. S. MDCCLVIIII.